Cracov. Studior. Univ. Jagell.
Promotiones Philos. Ordinis
1694 die 31 Martii.

Preisz Andreae: Corona sapientiae, virtutis, laboris et doctrinae gemmis ex honesto solidoque nitentibus exornata, et erudito honori VV. DD. XVIII secundae laureae Candidatorum dedicata.

CORONA
SAPIENTIÆ,

Virtutis, Laboris, & Doctrinæ gemmis ex honesto solidoq; nitentibus
EXORNATA,
& Erudito Honori
VV. DD. XVII. Secundæ Laureæ CANDIDATORUM,
DVM
In Alma Vniversitate Cracoviensi, Regni Poloniæ Generali Athæneo,
SUB EXIMIA PROTECTIONE,
CELSISSIMI PRINCIPIS, ILLVSTRISSIMI & REVERENDISSIMI DOMINI,

D. JOANNIS
DE MAŁACHOWICE
MAŁACHOWSKI,

DEI, & Apostolicæ Sedis Gratiâ,
EPISCOPI CRACOVIENSIS, DUCIS SEVERIÆ,
Celeberrimæ Vniversitatis Cracoviensis,
CANCELLARII FAVENTISSIMI:
A
MAGNIFICO, PERILLVSTRI, & REVERENDISSIMO DOMINO,

D. M. SEBASTIANO
PISKORSKI,

I. V. Doctore & Professore, Ecclesiæ Cathedralis Cracov: CANONICO,
Collegiatæ SS. Omnium ARCHIDIACONO, Vielunensi CANONICO,
ALMÆ VNIVERSITATIS CRACOVIENSIS PROCANCELLARIO,
ejusdemq; Studij Generali & Vigilantissimo
RECTORE,
In Magna Illustrium, & Nobilissimorum Hospitum frequentia,
& Amplissimi Senatûs Academici consessu,
Post peractum rigidi Examinis certamen
Magisterij in Artibus, & in Philosophia DOCTORATÛS,
LICENTIAM ritu Solenni consequerentur,
In vim Fraterni amoris, & publicæ Gratulationis,
PER
R. ANDREAM PREISZ, Canonicum Regularem Lateranensem,
eiusdem Secundæ Laureæ Candidatum,
Concentu Panegyrico

DEDICATA.

Anno Coronati in Carne VERBI Divini 1694. Die 31. Martij.
CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.

In Gentilitium Stemma, Perillustris & Rñdissimi Dñi.



FLVMINA trina fluunt, pulchris in sæcla Trophæis,
Quæ VICTORINVS Victor in Orbe tulit.
Quidni istis etiam ex doctrina lecta Corona,
Aspergatur Aquis, sic vireatq; diu.

PERILLVSTRI,
&
RNDISSIMO DOMINO,
D. VICTORINO WERESZCZYNSKI,
ECCLESIÆ SS. CORPORIS CHRISTI
Casimiriæ ad Cracoviam
PRÆPOSITO,
Canonicorum Regularium Lateranensium, per Poloniam, & Magnũ Ducatũ Lithuaniæ,
PRÆPOSITO GENERALI,
Domino, Patri, ac Mecænati Amplissimo.

CORONAM Sapientiæ in Parnasso Iagellonico, operosæ Virtutis industriâ, solidoq; labore compactam, & gemmeo eruditarum mentium nitore refulgentem; in coronatum gratijs Patrociny Tui sinum, tantò sincerius deponere gestio; quantò gatius hoc munus Tibi fore existimo. PERILLVSTRIS & REVERENDISSIME DOMINE. *Nimirùm cùm Tu ipse Divinæ humanæq; Sapientiæ vivum oraculum sis, rem quæ Sapientum munere constat, non aliter potes, quàm affectu tenerrimo complecti. Hoc enim sapientissimis mentibus insitum est; vt licet omnium Sapientiæ donorum Pandoræ sint; minimum etiam eruditi fænoris censum magni pendant. Nec mihi Clienti Patronus, Filioq; Pater iustè ob id succensueris, quem Iagelonicæ Palladi, cuius Reges Conditores & Nutrity sunt, in Studio Theologico erudiendum, cum mei similibus singulari benevolentia tradidisti. Illa verò in venerando senio vigens & fecunda quandoquidem*

dem inter frigorum aspera, adversosq; Aquilones evalus Laureis pulcherrimè vernat; puduit odoratum Lauri nemus ingredi, & non intento Studio, solicitâq; operâ Laurum decerpsisse: quæ secùs decursus FLVVIORVM Tuorum placidissimos plantata, candidis illibati pectoris & venerabilis Senij Tui nivibus, vireret in obsequium, mihi in præsidium. Spontè in id negotij difficilioris currenti immensum calcar addidit Tuus favor beneficus? quid ni Coronam, quam certando merui, Magno Nomini Tuo substernam. Te quidem Theologico Studio eximium deberent ornare Laureæ, sed & nostris Laureis sertis gratia Tua pro auro Coronario fuerit. Quot perplexa & difficillima Commißionum negotia, dexterrimâ prudentiâ, animo excelso, iudicio acri & integerrimo, cum omnium plausu expedijsti, tot Tibi perennis gloriæ nobiles florent Palmæ. Cæterùm, Corona nostra difficili lecta iugo, palmarem singularis benevolentiæ Tuæ sinum exposcit. Exerces vim beneficam in Lateranensem Casimiritanam SS. CORPORIS CHRISTI Basilicam, totamq; Sacratißimam Congregationem; sed nec beneficium perdideris, quodcunq; Palladijs nostris Corymbis præstiteris omnium Virtutum quæ in Prælatis dignißimis expectantur commendanturq; viva Idea & Speculum es sine macula. Permitte Coronam Sapientiæ gemmeis doctarum frontium sudoribus roridam sub virtutis & gratiæ Tuæ purpura triumphare. Illi quidem ad conciliandum Patrocinium Tuum & si cætera desint; suffecerit Venerabile Almæ Studiorum Regni Parentis Nomen protexisse; cuius Tu faustis succeßibus magnopere gaudes; & illa magnis laudibus Tuis sine fuco applaudit. Amicam vicem, inter vtrumq; retractans, Coronam, quam mihi inter alios sapientia decrevit, Tuo Amplissimo Nomini dedicatum eo. Hoc vnum comprecatus; vt quæ summa in Te sunt Virtutum & meritorum Tuorum decora, maioribus in dies Amplitudinis Tuæ incrementis, victurisq; ad omnem posteritatem laudibus immortalis gloriæ coronâ, nunquam desinant coronari. Ita vovet

Perillustri & Rñdissimæ Dominationi.

Cliens Humillimus & indignus Filius,

ANDREAS PREISZ.

D. PATRIARCHÆ
CORONATORUM PRÆSIDI,
B. JOANNI CANTIO,
Regni Poloniæ, & Almæ Vniverſitatis Crac: PATRONO.

Profundæ Venerationis Cultus, cum Aureola Beatitudinis Coronam Adamantinam,

Cum Lemmate: DAT PRETIUM CANDOR.

CVlmen auguſtum Lechici Trionis,
Atq; Dux almi Cracidum Lycæi;
Laureæ noſtræ decus, & Corona,
Dive IOANNES.
Gemmeus rara pietate Doctor,
Nunc ſed æternis redimite gemmis,
Es coronato Sapientiæ Orbi
Gemma favoris.
Hactenùs Phœbi Libitina triſtes,
Laureis miſcens nitidis, cupreſſos,
Gemmeam docti capitis Coronam,
Abſtulit atrox.
Ringimur ſævo gemitu querentes
Corculum Cyrræ Iagelonianæ;
Sæculi exculti decus & triumphum
Cedere fatis.
Tu proin damni pretium repende
O Pater tanti. relevet dolorem
Gaudium maius. Simili metallo
Mille recudat,
Aureas mentes; aliumq; Phœbum
Iupiter ſummus pariat, recenti
Omne funeſtum relegans ſereno,
Ex Academo.

Corda votivos geminant honores,
Gessimus, quæ nos Craciæ Minervæ
Fac DEVS celso residens Olympo
Bella coronet.

Tu quidem Victor probitatis omnem;
Quando palmari pede permeasti,
Et triumphalem Sapientûm, quando es
Mensus arenam.

Quando Vesanum Phlegetonta, carnis
Impios ausus, malesana mundi,
Colla calcasti; celebris Palæstræ
Pancraciastes.

Dumq; vicisses elementa, sacros
Ipse Vulcanus veritus recessus;
Desijt sævâ violare fauce,
Cracia tecta.

Parca dum parcit truculenta vitæ,
Cedit & juri proprio, jubente
Magne Te Doctor, tremebunda palmam
Et Tibi tradit.

Ergo jam nostræ capias Minervæ,
Omnium Victor debitum tributum,
Candidum candor decet & Corona
Ex Adamante.

Magnifico, Perillustri, & Reverendissimo Domino,

D. M. SEBASTIANO PISKORSKI,

I. V. Doctori, Ecclesiarum, Cathedralis Cracoviensis CANONICO, Collegiatarum SS. Omnium Crac: ARCHIDIACONO, Vielonensis CANONICO, Almæ Vniversitatis Cracoviensis PROCANCELLARIO, ejusdemq; Studij Vigilantissimo ac Generali

RECTORI.

Debitæ gratitudinis Corona Hyacinthina,

Cum Lemmate: FULGET IMAGINE CÆLI.

QVo Tua Palladij Princeps celeberrime Regni
Pieridum plectro maxima gesta canam!
Si mihi Cecropiæ Musæ decus, atq; Maronis
Majestas essent; gloria maior erit.

Quos

Quas non excedis laudum Suadæq; cothurnos?
Quam superas Phæbi Pegalidumq; choros!
Quis Tua primæuæ poterit celebrare Iuuentæ,
Optima facta Dijs & Ioue digna loqui?
Laurigerum præstas Studijs Athleta triumphum
Palladis in Stadio, Victor vbiq; manes.
Hyperides, Cyneas Suadæ Latiæq; Parentes
Exprimis, ore Tuo corda virosq; tenes.
Influxêre Tuum pectus Castalidos vndæ
Fundis nectareo dulcia metra sono.
Arma Virosq; canens, vates, gentisq; Polonæ
Heroes, audis alter Apollo Lechi.
Classica miramur Musarum in Classibus, olim
Prælia quêis Pubes docta ciebat ouans.
Quos ibi conatus fecisti quosq; labores
Drammatibus multis Comica Musa docet.
Docta Cleantheæ superans conamina Turbæ
Illustres noctes, arte stupenda facis.
Mirantur Stoæ, miratur turma Sophorum.
Quam bene Stagyræ, prælia multa moues.
O quam difficiles mire persoluis Elenchos!
Palmari ingenio, summus vbiq; Sophus.
Sed Tibi Cælestis Sapientia Sacraq; bilanx
Diuinæ Themidos, magna trophæa tulit.
Artibus his binis fulges imagine Cæli
Iustitiæ Doctor prospicientis humum.
Assessor quoties Radamanto iustior extas
Iudice sub tanto, noxia causa ruit.
Altera pro meritis iustis bona causa triumphat
Cum Lechicus Phocion, Arbiter extiteris.
Vistuleus torrens Lechiæ, Tyberisq; beata
Ostia Te nôrunt, Danubiusq; colit.
Teq; suum comitatur amans RADIVILLA volucris,
Ipsa Aquila in plausus euolat alma Tuos;
Regibus & placuisse Tibi, non vltima laus est,
Ab Ioue quam Lechico semper habere soles.
Ergo viue diu Pilio prolixior æuo
Oraclum Themidos, viue Corona Sophum.

CLARISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS, ET ADMODUM REVERENDIS DOMINIS, DD. EXAMINATORIBVS.

CLARISSIMO, EXCELLENTISSIMO, & ADM: RNDO DOMINO,

D.M.BASILIO PLASCZEWKI

Philosophiæ Doctori, Collegæ Majori, Tradnoviano Professori, Canonico S. ANNÆ, ac interea Artisticæ Facultatis DECANO.

Clarissimo, Excellentissimo, & Admodùm Reverendo Domino,

D.M.IOSEPHO WISNIOWSKI

Collegæ Majori, S. Th: Professori, Ecclesiæ S. ANNÆ Scholastico.

Clarissimo, Excellentissimo, & Admodùm Reuerendo Domino,

D.M. IOANNI BALICKI,

Philosophiæ Doctori, Hæbraicæ Linguæ Professori, Collegæ Maiori, Canonico Sanctæ ANNÆ.

Perennis gratitudinis argumentum, Corona ex Iaspide.

Cum Lemmate: TRICOLOR SED UNUS.

DOctæ Camenæ fundite carmina,
Qua fontis humor Belerephontei,
Lambit iugum Pindi Sacrati,
Ingeminando melos iucundum
Canant triumphum Lesbia barbita
Percussa blando pollice Apollinis,
Iam sistra cantent, iam choraules,
Acre sonent modulamen Aulâ
Clio Tonantis progenies Sacra
Descende Pindo præcipiti gradu
Intende chordas tùm sonoros
Laurigero numeros triumpho,
Intende dulcem Melpomene chelim,
Assume plausus & Polichimnia,
Et læta Phœbi turba cantet,
Atria nunc resonant sororum.
Dicendus almo carmine Ternio.
Sacer sophorum Sicelidum decus,
Cætus eruditi Corona,
Palladij pretium Senatûs
Primo refulges Basilico Tuo
Vt Gemma lucens Nomine, Purpuræ
Stagyreæ murex decorus
Et honor ipse manes honoris.
Princeps Sophorum, gloria Palladis
Suadæ cothurnus mellifluæ sacer
O non satis canendus!
Qui superas genio Platones.

Quis

Quis namq; celsi quis celebret Tui?
Queis nos adornas ingenij dotes?
Digno celebrabit quis ore?
Murice Te toties decorum.
Te rostra nôrunt, Gratia,, Te exedra
Sacra celebrant, Peripatus colit,
Te lingua prædicat Pelasga,
Artibus omnigenis coruscum.
WISNIOWIANI gloria culminis,
Excedit omnes Pegasidum sonos,
Excelsa mens tangit Polorum,
Fastigium, patitur nec à me,
Se nunc adauctus Nomine, vir pius
Digne coli, nec laudibus indiget;
Quem fama virtutis, supremam ad
Cælituum retulit sophiam.
Mathesis olim Sacra, quod intimis
Aperta fibris, quod Sapientia
Primi sophorum contulit, nunc
Anthea Theosophia adornat.
Summâ BALICKI *dignus adoreâ,*
Quibus Te doctus Pieridum chorus,
Metris celebrabit potentem,
Ingenio, solidè eruditum?
Sêu Tu sophorum publica prælia
Contra Palestras intrepidus cies,
Seu Tullij doctas Cathedras
Nectareo recreas lepore;
Vbiq; magnus diceris. inclytus
LVBRANSCIANA & Tu celebraberis
Professor à Pinu, colebas
Quam proprio sedulus labore.
Viuas perennans inclyte Ternio,
Dignus Coronâ, quæ pretio caret.
Sublime nomen sit perenne,
Laudibus haûd modicis beatum.

CORONA SAPIENTIÆ.

gemmis ex honesto solidoq; nitentibus exornata.

II. V. & A. R. D. ALBERICO MAHULIK,

Ordinis S. BENEDICTI, Regij Cœnobij Tynecensis Presbytero.



Auitum eius insigne Rota cui Achates gem-
ma inserta omnigenæ eruditionis symbolum,
Coronam Sapientiæ pulcherimè ornat.

Lemma: Virtus non fortuna gubernat.

QVàm nihil Imperijs tutum, fortuna lacessit,
Ingentes Orbis trabeas, Regumq; superbis,
Insultat malefida bonis; quàm cuncta reuellit!
Et Musas Sors cæca premit; Tibi fronte serena
MACHULIK fortuna fauet, dum rota secunda
Vertitur vtramq, in sortem dans pignora laudis.
Quidquid laudis habes hoc non fortuna gubernat,
Sed virtus doctæ studio coniuncta Minervæ.
Te Charitum Vultus, & si quæ est gratia Musis
Vix animo superant, cui feruens cura sciendi,
Ingenium sublime dedit, vatemq; creavit.
Te per Aristotelis renidentia tecta Lycæi,
Alma Parens traxit Cracijs domus hospita Musis.
Omnia quæ quondam studijs illustrior Orbi,
Pallas amæna tulit, vastoq; immisit Olympo,
Concipis ingenio; spinosaq; verba retundis.
Ergo Phæbigenum felix mereare triumphum,
Et Te per populos resonent vrbesq; remotas
Agmina Musarum: nam Te meruisse videmus,
Annuat vt cæptis fortuna & honoribus adsit.

III. V. D. STANISLAO WOSINSKI Crac.



Pomum trina Cruce decorum supra quod
fortissimus Leo cla- uim in pedibus tenens
Coronam Sapientiæ suis decoribus ornans

Lemma: Pretium supereminet omne.

Eximit

EXimii sequeris vestigia clara Parentis
Dum Tibi Palladius vertice floret honos.
Exemplo docuit tanto sapuisse WOSINSKI,
Quod Tibi formauit Pallas amica Domi.
Felices animi quibus est concessa facultas
Discere, maiorum quod monumenta docent.
Quod Virtus loquitur, quod singula moribus acta
Præcipiunt, speculo quod meliore nitet.
Ægyptum petiere alij, petiere pelasgi
Per mare, per terras, dogmata clara soli.
Audiuère graues Latio spectante Catones
Et quidquid doctum cultior orbis habet.
Omnia sunt alijs præstò virtute Paterna
si modò complaceat, quæ bona Velle sequi:
Hæc fortuna Tibi data cælitùs, excitat omnem
Virtutis stimulum, perpetuòq; mouet
Vt decus hoc paribus meritis tuearis amesq;
Quod dilexisti nobile dogma sophûm.
Prouehet hoc studium Te celsius, atq; paterno
Ad summas Laurus, Te dabit ire gradu.

IV. V. D. CASIMIRO KVROWSKI,



Splendidam reddit
Crux inter cornua Cer-
vmbratici Studii indi-
ctium vmbras vincat)

Coronam Sapientiæ,
ui carbunculo gemma
ce (quod fulgore, no-
irradians.

LEMMA: Non
sapit egregiè.

tumet ex vanò, qui

PRæclara semper laudis eburneæ
Si dona poscunt grata monilia
Passu remisso ad hæc, negatur
Pluribus hoc iter edomare.
Fauente cælo per celerem fugam
Exasperatis passibus inviis
Itur triumphalem ad Coronam,
Plaudit ouans animosus Hector.
Non cura segnis Te decuit bonum
Quando KVROWSKI, pectore sed pio
Virtutis almæ dona felix
Grata ferens, venis in triumphum.
Nodosa promptus clariùs explicas
Dogmata Stoæ pulchrior emines
Torrente prosper Tulliano
Ore rosas loqueris disertus.
En Te coronat iam Sapientia
Fauetq; votis vt diademate
Iam glorioso nunc decorus
Sæcla trahas, gremio Sophorum.

V. V. D. IOANNI ANTONIO WENTON.



Frugiferæ Cereris ma-nipuli Chryſolito excel-
lens ingenium eius de-ſignante coſpicui mu-
tuum decus Coronæ Sapientiæ rependunt.

Lemma: Tibi meſ-ſis aurea cedet.

Optatæ ſtudijs culmina gloriæ
Magnis, atq; decus prendere conuenit.
Sudatis legitur digna laboribus
Meſſis; fronte fluente eſt copioſior.
Auguſtæ nitidum ſic Sapientiæ
Sertum dulce venit, Nomen amabile;
Per vaſtos operum nonniſi anhelitus.
Laurus docta premit tempora peruio
Deſudata ſuo permage tædio
Dedignatur iners turpe ſed otium
At cenſu debito cedit eburneis
Laurus ſacra Tuis temporibus noua,
WENTON quam Stabilis ſat probe Delphicam:
Quæſiſti nimijs macte laboribus,
Per ſtoæ facilis pulpita proſpero,
Paſſu Victor ouans dogmata ſolueris,
Profundis roſeo nectar eloquij,
Felix ore Tuo: moribus optimis.
Vber non ſterilis gloria ZAMOSCY,
Te luci exhibuit, Muſaq; gratior
Lactauit meritò, nunc Sapientiæ,
Vittam prendè ſacer Neſtore longior,
Et ſic Meſſis erit laus Tibi Pallados.

VI. V. D. ALBERTO GODECKI.



Gentilitium Stemmâ Aviti Sanguinis,
Inſigne virtutis & do-ctrinæ Ascia Onyche
gemmâ fortitudinis ſymbolo inſignitâ ce-
dit Coronæ Sapientiæ in decus & præſidium.

Lemma. Decus & tutamen in omni.

Dignum laude decus probát
Virtus, quæ pretio eſt inclyta maximo
Et victrix ſapientiâ,

Vittas pro meritis Laurigeras refert
At quem pertrahit oprimo.
Munus hoc studio; solicitudine
Quærat summa per ardua,
Nam nodos recidit quosq; scientia,
Prauos amputat ASCIA,
Et quos exacuit maxima gloria,
GODECKI exacuis Tuam.
Curis solicitis quam probus ASCIAM,
Nodos difficiles ea.
Abscindis; próbitas atq; modestia,
Ornat Te bene pulchrius,
Ergo macte gradum, scandere Te vocat,
Pallas, serta ferens Tuo,
Et Lauros capiti Tu Tibi promptior,
Sis inter Stadiodromos,
Et spem solicitam non dabis irritam.

VII. V. D. IOANNI LUKINI Crac: Nota: Apostoli:



Lilia terna supernè Leo clauim in pedibus tenens in cuius fronte Amethystus bonum intellectum tribuens vigilemq; præstans nitet in Corona Sapientiæ nitidior.

Cum Lemmate: Præfulget animo ad omnia forti.

INfracta curis solicitis bonâ,
Virtus, Sacrati gloria nominis,
Gaudet triumphali coronâ;
Herculeos numerando passus.
Meretur audax pectoris ardui,
LEO tributum qui generosior,
Infirma spernens magna fortis
Exsuperat domitor pericla.
Non Te labori subtrahis arduo,
Quando; LVKINI; sed generosior,
Nodos sophorum Tu resoluis.
Difficiles; meritò triumphas.
Lucina felix Cracia Te dedit;
Altrice Musa moribus inclijtum?
Ergo Tuæ cedit Corona,
In pretium en Amethystus Indus.
Colore fulget qui violaceo,
At luce præstans purpureâ micat,
Laboris index: Tu labore,
Emeritas legito coronas.

VIII. V. D. MICHAELI RERONSKI.

Luna duodecem stellis velut gemmis coronata splendorem Coronæ eruditæ auget,



Cum Lemmate: Splendore diem. Conjuncto efficiet

MAturis animi dotibus, elegans,
Si cultus veniat Palladis inclytæ,
Magnos sæpe viros reddit honoribus.
Doctis ingenio pares,
Multis Icario cerea Spititu,
In sublime volant pectora. sed citò,
Languescunt sapiens Dædalus impetum,
Pennarum volucrem gerit,
Ætas, judicium, quod Tibi contulit.
RERONSKI, placidæ frena modestiæ,
Constantisq; animi cum studio gerit,
Morum compositum decus.
Hoc est quod nimios non habet impetus,
Sedatosq; facit nam Sapientiæ,
Fructus maximus est imperium sui,
Et constantia pectoris.
Illi sedulitas in studijs comes,
Te cordis faciet magnanimi virum.
Dignum, cui regimen nobile mentium,
Pubes Lechica debeat.

IX. V. D. MARTINO WALESZYNSKI.

Cygnus candore' nativo pro Sardonyche gēma, Coronam Sapientiæ exornans.



Lemma. Candore &cantu delicium ciet,

DVlce Sacrati melos ovis, atq;
Candidum formosi animi Serenum,
Vnicum Musis, decus & Corona,
Deliciumq; est.
Nesciunt castos maculæ notare,

Casta

Casta cœlorum sapiunt fauore,
Lætus en Cygnus moriens triumphat,
Dulcè canendo,
Hoc decus Laudis meritò capessis,
Nunc WALESZYNSKI niueus decore,
Candido semper, rosea extitisti,
Plenus odore.
Innocentis Tu studiosus auræ,
Perpeti natus solidos labores.
Eloquij dulcis repetendo cantus,
Iam cecinisti.
Gemmeâ exornans caput eruditum,
Iam Tuum Pallas sapiens, coronâ,
Optat vt dulci Tibi fonte currant,
Cuncta secunda.

X. V. D. STANISLAO GOLĘBIOWSKI.



Gentilitium eius stemma Gozdawa cui à doctrina præstanti Saphirus Sapientis modestiæ symbolum adiunctus Coronam Sapientiæ perquàm egregiè ornat.

Lemma. Digna sunt Lilia gemmis,

CAndente cælo sideris aurei,
Pulchro sereno cuncta per inuia,
Itur gradu tutò pericla,
Edomitos reperendo passus.
Iacet profundis his tenebris diu,
Alto sepultus quando silentio,
Famæ perennis orbus extat,
Nec titulos numerat decoros.
Dignis perennem laudis adoream,
Togata reddit mox Sapientia,
Quos dura perpeti laborum,
Non piguit meliore passu.
Tu GOLEBIOWSKI laudis eburneæ,
Sumis Coronam nunc sapientiæ,
Perplexa promptus qui Sophorum,
Dogmata sat facilis resoluis.
Dabis sacratæ munera Palladis,
Opima spebus si probus exseres,
Passus citatos gloriosus,
Quò Sapiens animus leuatur.

XI. V.D. CASIMIRO MUSIAŁOWICZ



Liber cui Penna imposita, cum Lauru, & Mitra Doctorali, subscribit Laurum virentem & Topasium laboris Coronæ præsenti.

Cum Lemmate: Dignus Sapientiâ Census.

SVmmo prosiliens cerebro dilecta propago,
Et cognata DEO titulo Sapientia Diua.
Maxima dona refert præconia digna meretur
Quas memor immensi deposcit temporis ætas
Scribuntur magni folijs monumenta laboris
Perpetuamq́ trahunt famam Virtutis auitæ.
Laurus serta parat nulli cessura corusco
Fulmini & infesto felix Sapientia victrix.
Arma triumphalis iustò nunc Palladis ambis
Digne MUSIAŁOVI *mentis sapientis imago*
Viva, Sacri Stoæ Peripathi vera Lycæi,
Difficiles volvens nodos per summa laborum.
Invia tendisti festas ad Palladis ipsas
Laurigeras cuncta virides ætate Coronas.
Hasce Tuo capiti Pallas dum sacra reponit
Fert votum vt faustus vivas, & luce serena;
Inter sacratos colles potiare Minervæ.
Sic memorem famam facies Tui docte Sophorum.

XII. V. D. ALBERTO MROZINSKI.



Rosa intra quam Avis ramum Olivæ Beryllo gēma renitentē in rostro tenens, vernovum in Corona Sapientiæ exhibet.

CVM LEMMATE: Non idem honos floribus est vernis.

PUrpuram Vultu roseo nitentem
Regio semper solio propinquam
Quisquis eniti satagit merentûm
Ardua tentet
Armat & pungit vgil ecce spina
Excubans flori roseo, decorem
Carpe ne tutò manus vltra florem
Quin superes has.

Segnior

Segnior frustra superante dumo
Tendit, vt pulchrum capiat honoris
Munus, hoc Soli venit in Coronam
Summa domanti.

Hoc decus plenum nimij en odoris
Prendis, ingenti cumulando censu
Auge MROZINSKI haud sterilis laboris
Hocce tulisti.

Stoa Te vidit facilem, Togatæ
Palladis mystam, meritò capesse
Gloriæ felix nitidam Coronam
Atq; triumpha.

XIII. V. D. JOANNI GŁUCHOWSKI Crac:



Coruus intra Soleam expansis alis rostro te-nens annulum cuius pretiosa gemma eru-ditæ nedum cruentæ Victoriæ Coronam a-dornat,

Lemma: Virtute partum stat decus in solido.

Laureatorum titulos honorum
Consignans intra Soleam Volucris
Annulum rostro referens aperto
Tendit in astra.

Vt Tui monstret solidum vigorem
Pectoris celsi, cui cedit istud
Gemmeam pulchrum decus in Coronam
Docte GŁUCHOWSKI.

Coruus vt quondam tulerat trophæa.
Ampla Coruino Tibi sic parauit
Eruditorum spolium Virorum
Ardua virtus.

Siue Galeni recreant recessus
Siue Te poscunt Themidos Canones
Supparem cunctis genium videris
Mente tenere.

Ergo duc faustis auibus triumphos
Aureo quod quod soleata virtus
Orbe despondet Tibi sit perenne
Nomen in æuum.

XIV. V.D. MICHAELI KUCZANKOWICZ Leop:

Parentum eius Stemma Columba rostro ramum oliuæ tenens ad Coronam Sapientiæ Smaragdinum Virorem addit.



Lemma: ſic Virtus & Sapientia Vernat

GAudet magnanimus Leo
Proſterni ſibi, non tollere corpora.
Pugnæ finis adeſt Tuæ
O KVCZANKOVI, quem condecorat Leo
Roxolanus: at altius
Attollit Sapiens ſenſus in arduis
Vibrâſti ſatis ægida.
Ingens dum rigidâ caſſide Palìados,
Soluis pepla ſtagyrea
Sic addent decus & gaudia Laureæ.
Donis ingenij notus acerrimi:
Suadæ flumen & aureæ
Dum fundis roſeo Tullius æquore,
Nôſti Caſtalium nemus,
Hinc ſurgunt hederæ præmia carminis.
Iam frontem roſeam proin
Pergas emeritam ſubdere Laureis:
Poſt ſudataq; prælia
Inſignis meritò Cecropium accipe
Ramum, grande Mineruæ opus.
Quod munus Tibi nunc ore Columba dat.
Pacis munera mitior
Cenſe: Sic honor & gloria Nominis
Creſcent vere nouo Tuæ

XV. V. D. IOANNI MARCINKOWSKI.

Gentilitium ſtemma, Tres Roſæ Coronam Sapientiæ reddunt florentem.



Lemma. Flores virtutis ſunt fructus honoris.

Amata

A Mœna veris tempora floribus,
Pulchris redolent & thymiamata,
Fundunt ſinu ſatis benigno,
Lilia, terra Roſasq́; prodit.
Quàm pulchra vernat veris amœnitas,
Laurisq́; ſacros Alcinous ferax,
Flores miniſtrat & decorem,
Fundit agri meliòre cultu,
MARCINKOVI Te nunc Sapientiæ,
Circumſtat ingens en odor inclytæ,
Amore cuius Tu flagrares,
Et ſtudio fereréris amplo.
Proindè fauſto Lilia candida,
Roſæq́; veris delicium Tibi,
Cedunt in amplum Sanctioris,
Purpurei diadema honoris.
KRVPECCIVS nam Te Iuris Arbiter,
Splendore pùlchrè fecit in inclyto,
Honoris en dignum videri,
Vnde ſacram capias Coronam.

XVI. V. D. NICOLAO KRAVZOWSKI.

Sagitta ad ſiderā ten- dens ê diadēmate cæle- ſtis Astreæ gemmam in Coronam Sapien- tiæ latura.



Lemma. Viam affe- ctat Olympo,

DIvina proles magnaq; portio,
Summi Tonantis munere maximo,
Partita terris gratioſus,
Eſt animus Superis propinquus.
Terrena vultu deſpicit omnia,
Alto; Polorum Sidere clarior,
Tendens in excelſum cacumen,
Nobilior venit in theatrum.
Corona magnæ clara ſcientiæ,
Deſpectat auſus quæ timidos ſacra,
At, magna prouocat minantes,
Summa potens generoſa ſemper.
Hoc egit amplo ſat Tua proſpero,
Fæcunda virtus omine celſior,
Et KRAVZOVI Te mente magnum,
Iam nitidâ redimit Coronâ.
Dignè ſophorum dogmata peruia
Soluis, diſertus Tu eloquij legis
Flores; coronam iam capeſſe.
Quam ſolido ſtudio mereris.

XVII. V. D. STEPHANO WIERZBICKI.



Solea, intra quam clavis alata, pretia gemmarum in Corona Sapientiæ claudit & vnione consignat-

Lemma Clauditur virtutis pretium non desinit in te,

Magnus dum stadio sudat Olympico,
Victor Stymphalidum, Nubigenū graue,
Fulmen, pœnaq; sæuæ,
Alcides Erymanthidos.

Sudatæ nimium munera gloriæ,
Insignem capitis prensat adoream,
Grandi totus anhelans,
Ad sublimia pectore-

WIERZBICKI stadium Tu quoq; Palladis.
Versas assiduo puluere, deligens,
Inter mille labores,
Nunquam tædia computas.

Vidit Te facies publica sæpius,
Conflictus, quoties difficiles Sophûm
Et certamina stoæ,
Tentâsti ingenio pari,

Hæc vestigia Te, non humili probant,
Iturum stadio, quo Tua celsiùs,
Ad sudore paratas,
Virtus surget adoreas.

Nunc iam palmigeræ munera gloriæ,
Cum claudas sapiens, culmen honoris &:
Virtutis pretium in Te,
Clausum haud desinet ampliùs.

Admodùm Reuerendo Domino,

D. ANDREÆ DOMINICO PREISZ,

Canonico Regulari Lateranensi
Secundæ Laureæ Candidato
Authori Operis.

in documentum mutui affectûs & gratulatorij applausûs

Solea intra



quam Crux.

Cum Lemmate: Sub Cruce victrici
virtus soleata triumphat.

JOANNES ANTONIUS WENTON,

Senior Scholæ SSmi Corporis Christi Casmiriæ ad Cracouiam sitæ
Eiusdem Laureæ Candidatus

OFFERT C. D.

POst exantlatos per tempora longa labores,
Emeritos, semper præmia digna manent.
Edocti tolerare Cruces, persæpe Coronas
In pretium sumunt, quas labor ipse probat
Altiùs excrescit, si pondere palma grauetur:
Sic grauior quos Crux aggrauat ambit honor
Sub Cruce victrici virtus Soleata triumphans
Crescit in immensum, festaque serta legit.
Extruit ædificatq; thronos in vertice summo,
Palmares genios prouocat ad solium
Est facilis præcelsam passus honoris ad arcem
His nisi, qui pondus, dulce laboris habent.
Docte sophûm curis flagrantibus otia vincens
Marcida nunc victor, siste proinde gradum;
Siste Tuam soleam in Parnassi culmine celso
En viridem Laurum, cedit Apollo Tibi.
Præstat inoffenso pede sacrum scandere collem
Quò Soleæ tritum Crux Tua monstrat iter.
I quò Te Coriphea vocat redimite Corona
Vir, Tua Crux; cùm Te fonte rigare cupit,
Cùi VICTORINUS WERESCZYNSKI præsidet hæres
Latius effusos Te vocat ad Latices
Castaliâ Lymphâ dulcem Tibi porrigit Ille
Ambrosiam vitæ, melq; suaue nimis

Tantus PRÆLATUS qua Relgione colendus
Qui socios dulci recreat amne suo
Quive scientificum Nectar vitæq; beatæ
Escam suppeditat Vir probitatis apex.
Iure coronandus torrens hic limpidus à Te
PREISZ quó laurus profluit ecce Tua.
Ergo triumphalem planta super amne Corollam
Altius vt crescat sit Fluviiq; decus.
Augustus Sapiens, probitatis cultor anhelus
Sit CZYRZYCKOVIUS, Laurea Sacra Tibi.
Quo monstrante viam, & tanto ductore Magistro
En Tua, nunc Lauri tempora docta premunt.
Et germana Tui virtus pretiosa JACOBI
Pro Regno vigilis, digna Corona Tibi est
Iudicio felix, Sapientis grande monile
Mentis, Tûi pretium macte laboris erit.
Plaudite Pierides, cùm pectine pulsat eburno
Præses Apollo sacer; dulce melos canite.
En tanti plausûs Musam ciet Echo potentem,
Laudibus in vatis, Musa canora mei est.
Inclyta fama canit, Te vivere poscit in ævum
Vota addit votis sæcula mille vovet.

MARTINUS WALESZYNSKI,
Secundæ Laureæ Candidatus,
EIDEM AVTHORI OPERIS.
In signum boni affectûs offert

Cantare buxo Pieridum melos,
Est celsa Vatum non humili iacens
Tellure laus, prendis PREISZ *quam*
Castalios resonando cantus.

Vernare laurus tempore Tu facis
Nostras perenni, nomina sæculis
Dans cuncta; quorum est nulla turpis
Oblivio; renitebis Ipse,

Extinguat Orbi stelligerum suas
Donecq; cælum reyciat procul
Faces. Auorum surget in Te
Quam generas resouesq; virtus.

Honor sacer, laus Stemmate nobili
Calcata surgent & ferient Polos,
Quidquid Paterna conteresq;
Tu Soleâ, rosa fiet, atq;

Cunctis dabit Crux auricomos nitens
Crines & almis Te faciet signis
Clarum; penetras qui sonoro
Aonidum loca sacra, plectro

Regnum bicorne & Sauromatas Tua
Vltra uehetur fama iugalibus,
Clamabit altum Thespiæq;
Aula Virum, canet ipse Pindus.

Hymettus

Hymettus Hybla & dulcia protinus
Amittit ingens, mella videns Tua
Quæ promis his captasq; Victor
Sic animos, superasq; suadâ.

Stagyra rerum ac abdita perſecans,
Te dicet Orbi laurigero magnum,
Cuius resoluis Gordios vt
Mox facili ratione nodos.

Quas ergo laudes non modico alueo
Effundis in nos, has ferimus Tibi
Compendium quarum manes Tu
Principium solidus faberq;

His dotibus iam vincimur optimis
Amorq; Musam vincit, at altiùs
Surgit triumphans victa pulchrè
Corde Tuo residens amæno

EIDEM AVTHORI OPERIS.

CASIMIRUS MUSIALOWICZ,

Secundæ Laureæ Candidatus.

In Signum applausûs gratulatorij, è Voto grati pectoris, boni affectûs Symbolum, Lyricâ Pöesi offert.

ASſurge celſis Muſa decempedis,
Latè patentem nominis ambitum
Alto celebratura buxo,
Artificem repetendo dextram.

Adeſt canenti dignus Apolline
Labor. Dearum quem niſi vortice
Edocta ſacrato ſubire,
Vel redolens Helicona totum

Æquare poſſet penna, perennibus
Illata vaſto pollice gloria
Faſtis PREISZYANA paruæ
Quando lyræ celebranda venit.

Tibi hic ſuperno militat eſſedo
Laudis triumphus: totus adeſt tuus,
PREISZ Cohortis Laureatæ
Doctiloquo celebrator ore.

Quantus duellis, quantus erat Sopho
Vigor calori, cum Tua pulchrius
Inter phalangas præliantûm
Veridico ſtetit ore virtus.

Vidêre Faſces tunc Iagelonij
Et literati Sceptra Senaculi
Quantùm Tibi docto tumultu
Eximiæ caluêre lites.

Hinc ſumma laudum iam niveis Tibi
Nutat quadrigis, flectit eburneo
Temone famam cùm repente
RELLIGIO LATERANA Sacris

Te inter Camænas pertrahit otijs.
Aſt Te citato gloria poplite
Nec hîc remiſit, ſed perennis
Auſpicio comitata magno.

At nec

At nec Parentem Tu Berecynthiam
Amans relinquis, curris ad optimum
Laudis trophæum quod labore
Magnanimæ peperêré frontes.
Ergo peramplis auctus honoribus
Imple Lechæi cardinis orbitam
Famâ; nec ætas sistet amplas
Laudibus accumulare laudes.



Permissu Magnifici Domini
RECTORIS.